





1715 1717,2 II. 19
PROLYSIO ACADEMICA *v. Beckii pro
gratia alic
M. edens*

DE

NECESSARIA

IVRISPRVDENTIAE

CVM

PHILOSOPHIA ET HV-
MANIORI LITTERATVRA
CONIVNCTIONE *(2)*

QVA

AD ORATIONEM AVSPICALEM

DE

IVRISPRVDENTIA SOLIDA
SVPERFICIARIA ET FALSA

BENEVOLE AVDIENDAM

PATRES, HOSPITES, CIVES

DEBITA OBSERVANTIA AC HVMANITATE

INVITAT

EPHRAIMVS GERHARDVS D.

INST. IMPP. PP. ORDINAR.

ALTORFI

LITTERIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGRAPHI

PROBATIO ACADEMICA
DE
NECESSARIA
IVRISPRVDENTIAE
CVM
PHILOSOPHIA ET HV-
MANIORI LITTERATURA
CONIUNCTIONE
AD ORATIONEM MATHSICALIEM
IVRISPRVDENTIAE
SVPERIORIUM
PATERE
EPHRAIMVS GERHARDVS D.
IUST. IMPR. P. ORDINAR.

LEIPZIGIUM, GYMNASII ACADEMICI



Q. D. B. V.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

A V T O R.



Ut divinae providentiae factum est, ut opinor, quod unanimi ILLVSTRIVM ACADEMIAE ALTORFINAE CVRATORVM arbitrio, ex academia Jenensi, cujus commodis ultra duodecim annos infervire laboravi, ad docendam jurisprudentiam huc fuerim evocatus. Gratia Numinis factum est etiam, quod post varia rerum mearum discrimina adversaeque valetudinis incommoda salvus & incolumis una cum meis huc fuerim translatus. Imo divinae gratiae tribuo gratiosum illum vultum, quo ILLVSTRES CVRATORES, nec minus etiam benevolum animum, quo eruditissimi ac celeberrimi Viri, in quorum confesso locum capeffere datum fuit, adventantem me peregrinum & antehoc ne de facie quidem notum hominem dignati sunt atque complexi.

Hinc utique grates debentur Numini non ore, non verbis, non scripto, verum vita & factis nunc quidem persolvendae. Admonet me hoc officii mei, antequam oneri ferendo manus admoveo, solaque divinorum beneficiorum in me memoria ad curatius pensitandas muneris mei rationes in introitu mentem compellit. Has autem dum intueor, tantum conspicio oneris, ad quod sufferendum & divina ope & sapientiorum doctiorumque consilio maxime indigebo. ⁸⁷ Doctoris in republica partes mihi demandatae sunt, quae illud maxime pro scopo habent, ut doctrina, consilio, monitis, ac mansuetiori disciplina, aliorum animi flectantur, ipsique societati humanae ac civili praevia sapientiae, prudentiae, ac iustitiae formatione concilientur, ut apta ac commoda reipublicae membra evadant. Hoc ni fallor omnes illae artes ac disciplinae, quae ad humanitatem pertinent, quaeque recepto academiarum more doceri solent, intendunt, adeo ut maxime ex hac ratione communi quodam vinculo contineri

Inprimis tamen salvo reliquarum pretio ac honore, munus hoc, cujus mentionem injeci, jurisprudentiae nostrae convenit, ut quodammodo jurisconsultis proprium dici queat. Nil dabo auribus eorum, quibus mihi inferviendum est, nil proprio ingenio vel electae vitae rationi concedam: illud saltem silentio praeterire non possum, quod & me, & illos, qui me audient, officii nostri admonere aptum existit. Illi, qui juris incumbunt studio, atque veram & non simulatam juris philosophiam adfectant, eo, quod omnes faterentur, manuducendi sunt, ut tum juris civilis, tum aequi bonique periti, populo se ad agendum, cavendum, interpretandum, respondendumque dare possint. Hoc vero mihi jurisconsulti veri & non personati officium, quod Hottomannus, quem amo, delineavit, ita conficere videtur, ut ex eo, quid jurisconsultorum praxis, quid curae theoreticae postulent, liquido satis adpareat. Hoc discendum est vitae & reipublicae: hoc docere debet constans sibi & non fucata juris theoria.

Sed hoc generale, mihi que cum aliis, qui in simili studio operantur, commune est curarum argumentum. Est & aliud, quod humeros premit, ac singulare, quodque jam quidem mihi prae aliis impositum esse existimo. Demandata mihi est interpretatio institutionum, quae communi stylo prima juris elementa vocantur, quaeque Imperatoria voce adfirmante prima legum cunabula continere debent. Hinc cogitandum est mihi de animis majoribus aptandis, deque fundamentis juris solide jaciendis, quod sane negotium non tantum difficile, verum aliquando & periculosum existit. Accedunt exempla tot tantorumque virorum, qui academiam hancce ad huc partim ornarunt, partim nunc ornant, quorum merita adaequare ultra vires meas positum esse lubens confiteor. Vivos, quorum alloquio frui meae felicitatis est, nunc quidem, ut ipsorum gravitas ac modestia jubent, tacita saltem veneratione prosequi licet. Sed Freigium, Giphanium, Donellum, Scipionem Gentilem, Wesenbecium, Rittershusios, Lud-

wellum, Wagenfeilium, Hammerum, Linckium, Spizium si tantum nominavero; consentient omnes harum rerum periti tam laudatis vestigiis neminem sine magno labore insistere.

Interim, quicquid hujus sit, sequar tamen, hoc enim studiorum nostrorum & officii impositi ratio sibi postulat, neque tutiorem viam prospicio prae illa, qua laudatissimi Majorum inceserunt. Horum dum studium cogito, horum dum labores respicio, multum inde ad fundamenta juris solide jacienda hauriri posse totus persuadeor. Unicum tamen prae aliis jam ferit oculos, quod maxime ad hanc causam pertinere videtur, quodque nobis curatissimam jurisprudentiae cum philosophia ac humaniori litteratura conjunctionem commendat. Maxime semper in hoc fuerunt laudatissimi illi viri, de quorum meritis alma nostra academia, donec erit, sibi gratulabitur. Hoc maxime suis viam ad solidam juris cognitionem straverunt atque pararunt tutissimam. Imo hoc ipso factum est, ut

alma Noricorum Academia ab incunabulis
fuis ad haec usque tempora de conservata
litterarum gloria vel cum florentissimis aliis
potuerit contendere. Horum itaque exem-
plo & mihi insistendum erit, laborandumque
pro viribus a Numine concessis de commen-
datissima hac jurisprudentiae cum philoso-
phia ac elegantioribus litteris conjunctione.

Equidem non tantum exemplis vivere ni-
tor, neque enim natura ad hoc factus videor,
neque tale quid sapientiorum doctrina per-
mittit. Exempla ostendunt, quam ratio
demonstrat viam, quamque jurisprudentiae
nostrae natura ac indoles sibi requirit. Duas
jurisprudentiae alas, si recte memini, juris-
consultus incomparabilis Franciscus Baldui-
nus commemorat: historiam ac philosophiam,
quae quemadmodum philologiae subsidiis ca-
rere non possunt, ita & hujus conjunctionem
necessariam docent. Superius Hottomanno
praeunte jurisconsulti munus in agendo,
cavendo, interpretando ac respondendo
consistere monui: quis vero sine iis artibus

quae sermonem formant apte & compositè agat? quis sine prudentiae praeceptis bene caveat? quis sine scientiarum plurium linguarumque cognitione rectè interpretetur? quis denique sine sapientiae ac iustitiae regulis de iurè, vel sine rerum gestarum notitia de facto respondeat? Certe nemo, nisi cuius ingenium humanam sortem supergreditur, quodque humanis eruditionis praesidiis sine dispendio caret.

Unicum saltem respicientes, quod iuriconsulti officium flagitat, quodque in interpretando consistit, facile arguent: conjunctionem, quam commendo, se ipsam commendare. In vulgus fere eruditorum notum est, quot & quanta legum Romanarum ac Germanicarum, secularium ac ecclesiasticarum, publicarum ac privatarum volumina explanationem ac interpretationem suam requirant. Romanas itaque leges interpretaturus Romanae quoque linguae ut guarus sit, Romani status arcana ut ipsum non lateant, res ipsa postulat. Noscenda hinc Roma quoad

initia & progressus, quoad incrementa & decre-
menta, noscenda quoad externam vim po-
testatemq; , nec minus, quantum internum rei-
publicae nexum atque compagem concernit.
Linguam si spectas; non apices non particulas
numerasse satis erit, neq; nunc quidem com-
mendo quorundam grammaticarum crepunda.
Ast varias ejusdem aetates discernere,
intimum verborum sensum rimari, diversos
earundem notionum significatus notare, ho-
rumque investigare origines illius laboris est,
cujus solidae jurisprudentiae cultores nun-
quam poenitebit.

Atque haec quidem Romam spectant re-
gum, populi, optimatum, imperatorum deni-
que arbitrio gubernatam. Plura discenda circa
eandem, ex quo baculum pastorem vereri ad-
fucta fuit. Immutatum est regimen, mutatus est
linguae genius, imo mutationes plures causa-
ta est variis subinde institutis stabilita externa
religio. Has vicissitudines nisi quis curatio-
ribus viderit oculis; sane is canonum explica-
tioni ineptus accedet. Notandae erunt utique

religionis, regionis, linguae denique ac status
publici plures immutationes. Confirmant hoc
etiam feudorum instituta, quae fere novam sui
temporis reipublicae faciem formant, totque,
barbaris quamvis, loquendi modis audum
nobis latium sistunt, ut interpreti haec circa
occupato nova Grammaticorum consilia, alia
Glossatorum auxilia veniant advocanda. A-
deo autem in studio jurisprudentiae versan-
tes illorum indigemus auxiliis, qui linguae
romanae & latinae origines, vim, purita-
tem, copiam, ornatum, vel etiam extrema
fata impensius scrutari amant.

Idem adfirmandum est de lingua rebusque
Germanorum, quibus propius cognoscendis
laborem impendere vel natale solum unum-
quemque ex nostris jubet. Corticem tantum
legum patriarum nosse videntur, qui anti-
quiora Germanorum instituta ignorant, neque
possibile est: singularia Germaniae ejusque
regionum jura, ut decet, declarare, nisi ta-
lium origines plenius investigentur. Adde-
rem exempla; nisi hoc nimis longum esset,

nisque nunc quidem praesentis instituti ratio omnia alia svaderet. Puto etiam parte laboris me sine culpa superfedere posse, cum hodie nemo facile neget: juris publici in germania studium sine rerum a majoribus gestarum notitia plane frigere atque inefficax esse. Habeo itaque quod volo: juris interpreti moderno jurisprudentiam cum grammatica & critica sobria conjungi debere. Jungi etiam debet historia civilis ac ecclesiastica tam Romana quam Germanica studiumque antiquitatum jurium cultori adprime profuturum.

Sic ex parte finem mihi videor consecutus, antequam ad finem contendo. Sed philosophiae etiam habenda est ratio, quippe quam primo loco nominavi. Habui etiam quamvis tacite quis enim interpretem cogitet sine philosophiae subsidiis? Omnibus, qui ultra trivium sapiunt, notum est doctrinam hermeticam, quæ de interpretatione praecipit aut partem aut consecrarium esse ejus philosophiae, quam Stoici cum aliis rationalem vocarunt. Hanc itaque cordi habebit prae reliquis sci.

entiis futurus jurium interpret. Hujus subsidiis tum dialecticis tum analyticis, ut vocant, utetur quotidie, neque enim ullum jurisconsulti officium nominari potest, quod non vel interpretem, vel disputatorem, vel utrumque requirat. De reliqua philosophia vix est, ut moneam. Quod si enim scire leges non hoc est verba earum tenere sed vim ac potestatem uti Celsus sapientissime monuit; non sufficit scripturam ac tabulas allegare, sed potestas illa, quae interna est & anima legum putatur, Cicerone proh! quanto jurisconsulto auctore ex intima philosophia est repetenda.

Mea opinione omnis, quae non in verbis sed in rebus est, philosophia quadripartita videtur, & congrue admodum in rationalem, naturalem, moralem atque civilem distinguitur. De priori res clara est: naturali vero indigent qui moralem ac civilem sectantur, neque sine hac Numinis, cujus voluntas fons legum est, existentia satis intelligi potest. De morali atque civili etiam non attinet di-

cere, cum unicuique citra praeceptis mentis
judicium rem intuenti facile adpareat: haec
disciplinas primas atque praecipuas legum
rationes continere. Peculiari libro hoc ar-
gumentum exequutus est nunc inter beatos
degens jurisconsultus Joannes Schilterus, cu-
jus in jurisprudentiam nostram merita tanta
sunt, ut facile etiam me non monente confir-
ment, quantum juvet hisce praesidiis muni-
tum themidis templum accedere. Non itaque
repetam quae alibi de ratiocinatione jurisc-
ultorum differui: facilia enim sunt & unicuiq;
juris ac philosophiae notionem curatius con-
templanti sine omni monitore pervidenda.

Illud saltem adhuc praeterire non possum,
quantum reliquum jurisconsulti futuri offi-
cium, quod in agendo, cavendo, ac respon-
dendo consistit, ex his studiis sibi possit gra-
tulari. Agere & fori causas, ut decet, pe-
rorare, non vaniloquentia, non loquentia,
non altercationibus absolvitur. Hinc vera
& edecumato iudicio condita requiritur elo-
quentia, quae philosophis genuinis pro-

pria esse videtur. Cavere etiam & sententiam dicere sapientiae, justitiae, ac prudentiae est, nil itaque planius sequitur, quam veram philosophiam imprimis moralem ac civilem in his jurium peritis atque consultis facem praeferre. Adparet ita, ut opinor, quae nam a suis cultoribus statim in atrio constitutis praecognita requirat juris quam sectamur, profitemur, disciplina. Adparet quam necessaria sit philosophiae sanioris, imprimis practicae, itemque elegantiorum litterarum cum illa conjunctio. Adparet, quid illis incumbat, qui splendidam Jurisconsulti veri & non personati nomen adfectant. Imo adparet, quae nam sint illa, quae viam ad jurisprudentiam aditu faciliorem, brevior, ac jucundior reddere possunt.

Incesserunt hac via, quotquot ex antiquis vel recentioribus aliquam laudem unquam consecuti sunt. Hac via Cicerones, Labeones, Papinianos, Ulpianos imitari datum est. Hanc prefferunt hanc commendarunt a tempore renascentium litterarum Vives, Balduinus, Hottomannus, Duarenus, Raevardus, Grotius, Wissenbachius, alique complures. Hanc hodie tuentur Voetius, Noodtius, Waterus, Binckershoeckius, Schultingius & optimi quique. Neque solos exteros nominandos habeo. Optime nostris exemplo suo post mortem etiam, vivos enim taceo, calcar addituri sunt Strauchii, Schilteri, Ziegleri, Stryckii, Bejeri, & quos superius nominavi nostrae academiae

Antecessores, de quorum laudibus, dum litterae erunt, nulla aetas conticescet. Horum nunc maxime exemplum in memoriam revocandum putavi, dum gratioso Superiorum jussu animum ad docendam jurisprudentiam appellere mihi constitutum est. Horum exemplo in posterum insistam, postquam Divina providentia, ac Illustrium hujus Academiae Curatorum gratia juris nostri Institutiones Iustinianas explicandi munus in me collatum est.

Hos sequuturus confido certissime: viam ad solidam juris cognitionem planam facilemque iis futuram, qui qualicumque mea opera in posterum uti voluerint. Atque hac confidentia ductus proxime Divi Imperatoris Justiniani libros quatuor Institutionum enarrare incipiam ita, ut earundem plenaria tractatio statuto tempore queat absolvi. Faxit Deus feliciter! Antequam tamen hoc faciam prius ex more consueto & auspicii rite capiendi causa cras hora IX. antemeridiana in amplissimi Senatus Academici confessu, coram Cuius ornatissimis amatissimisque pauca de jurisprudentia solida superficiaria & falsa praefabor. Ut itaque solenne hoc laborum meorum auspiciam Rector Academiae Magnificus, Maxime Generosus ac Perstremitus ditionis Altorfinae Praefectus, Venerandi Amplissimi omnium Ordinum Professores & Doctores, Generosissimi ac Ornatissimi Cives Hospitesque praesentia sua, benevolisque auribus ornare, dicentemque juvare velint, submisse admodum, eaque, qua par est, observantia, ac humanitate, praemissa simul publica grati animi stipulatione, contendo.

P. P. A. XVI. Septembris A. Aeg. Christ. MDCCXXVII





ULB Halle

3

002 382 989



TA - 20







1717,2 II. 19
Beckii pr
gratia ante
Medens

PROLYSIO ACADEMICA
DE
NECESSARIA
IVRISPRVDENTIAE
CVM
PHILOSOPHIA ET HV-
MANIORI LITTERATVRA
CONIVNCTIONE

2VA
AD ORATIONEM AVSPICALEM
DE
IVRISPRVDENTIA SOLIDA
SVPERFICIARIA ET FALSA
BENEVOLE AVDIENDAM
PATRES, HOSPITES, CIVES
DEBITA OBSERVANTIA AC HVMANITATE
INVITAT
EPHRAIMVS GERHARDVS D.
INST. IMPP. PP. ORDINAR.

ALTORFI
LITTERIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGRAPHI